

Sarmentus vero, Hispanorum præfectus, ægre murorum hiantium loca refarcire conatus, parum proficiebat, quod faxeus natura locus, glebas, ac cespites ad munimenta, quibus se, suosque milites tueretur, construenda non subministraret. Inde ingentibus globorum ponderibus domus, atque ædificia depressa prosternebantur; neque tutus, quo milites consisterent, locus erat, compluribus a tormentis discerptis. Hostes, cum Hispanorum vires haudquaquam ad illorum impetus excipiendos pares experirentur, propius moenia subeuntes, per amplo propugnaculo sunt potiti, in eoque vexillum erexere. Verum, illius fundamentis suffossis, agi cuniculum Sarmentus jusserat, eo consilio, ut cum hostes irrumpere in oppidum niterentur, atque acrius impetum facerent, ignibus admotis, tormentarioque pulvere incenso, repente concussa, disjectaque munitio inopinantes opprimeret. Verum consilium improspere eventu cessit; nam cum segnius, ac lente admodum flamma conciperetur, nullo fere Turcarum damno, cum se periculo eximendi mora facultatem daret, propugnaculi ruinæ ingenti strepitu, ac terrore introrsum decedentes multos ignibus correptos, alios ruinis obrutos absumpsere; atque eodem tempore Ulamanes, qui superiori loco expugnationem moliebatur, murorum parte prostrata, ad irrumpendum in oppidum se compararet. Quibus rerum difficultatibus cum assiduis laboribus, ac vigiliis debilitatos, ac prope confectos milites cerneret Sarmentus, fauciatos, atque ad pugnam conferendam minus idoneos in arcem confugere jussit, quo octingenti milites cum Aloysio Ario, & Macinio Mongaja, aliisque præfectis se recepere. Sarmentus nullis periculis exterritus, cum generoso animo clarissimum obitum turpi salutis spei anteferendum duceret, selectos milites, supremos bellicæ virtutis conatus edituros, medio in oppidi foro cogi, & conglobari præcepit. Cruentissimum statim, hoste irruente, certamen editur; pugnatur initio utrinque acriter, augente Hispanorum animos desperatione, qui ardore prælii incensi, licet importunus imber sclopettorum ignitos funiculos extinxisset, hastis, gladiis, contis intrepide rem agebant. Sed cum Turcæ numero superiores essent, ac summa contentione irruerent, pugnam-

*Hispani cæ
sauciis in
arcem Neo-
castri se re-
cipiunt.*

*Joannis
Sarmenti,
præsidii
Neocastri
præfecti,
præclarum
facinus.*